


**Latein-Buchtipps**

1. Februar 2008, 8:00 Uhr

**De viis stratis Romanorum Europaeis**

Hermann Schreiber, "Auf Römerstraßen durch Europa", Area Verlag, Erfstadt 2005

Recensuit: Dr. Heinrich Fliedner

Cave, ne existimes hunc librum novum esse. Est reimpressio libri, qui ante viginti annos editus erat, textu non mutato, photographematibus autem additis. Insunt illi libro ea, quae auctor, qui fuerit diurnarius clarus, per circiter triginta annos de viis stratis Romanorum Europaeis comperire potuit. Est ergo plenus scientiae et eruditionis; nam non modo singulae viae describuntur, sed etiam loca oppidaque ad eas sita, homines clari, quorum vitae quodam modo cum his locis coniunctae fuerint, res oeconomicae.

Adsunt quoque tabulae geographicae, inter se autem non congruunt: exhibent aliae nomina antiqua, aliae nostrorum temporum, aliae mixtum compositum antiquorum et modernorum. Neque vero in quibusdam tabulis insunt omnes viae maiores, de quibus in textu agitur. At tamen, nisi forte exspectas ea quoque te inventurum, quae his viginti annis de viis Romanorum Europaeis investigata sint, multa ex hoc libro discere possis.

Hermann Schreiber : "Auf Römerstraßen durch Europa." Area Verlag, Erfstadt 2005 - 9.95 Euro

[Auf Römerstraßen durch Europa](#) ➔

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/buchtipps/latein/roemerstrassen102.html>